

Alte Drucke

**Rerum praeclare || GESTARVM, INTRA, ET EX-||TRA
MOENIA MVNITISSIMAE CI-||uitatis Viennensis, pedestri &
equestri || proelio, terra & aqua, elapso ...**

Wien, 1561

VD16 ZV 27208

Praedatio ad candidos lectores.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149595

Prima martialium seu Cir- CENSIVM LVDORVM CLASSIS

PEDESTRI CONFLICTV EXHIBITA.

Præfatio ad candidos lectores.



VM omnes propemodum Poëtæ Historiciq;
Græci optimi lectores, ludos Olympicos, ad
quos tota Græciæ iuventus equo saltuq; decer-
tandi causa, quinto quoq; anno concurreret, in
coelum usq; tanquam primos & ludorum omni-
um celeberrimos summis laudibus efferant: ego Cæs. Maiestatis
fecialis, me cohibere non potui, quin in honorem & gratiam
inuietissimi Imperatoris Principis Clementissimi, ac cōmunis no-
stræ patriæ optimi, patris: nec non laudatissimæ Austriæ domus,
totiusq; bellicosissimæ Germanicæ nationis laudem, quā fieri pos-
set commodissimè atq; maxima cum fide, adhibitis suo loco cir-
cumstantijs omnibus quoad possem ludos Martiales, hominum
equorumq; hoplomachias, aliq; id genus publica spectacula atq;
certamina, elapsis aliquot diebus iussu Illustrissimi serenissimiq;
Principis ac Domini Domini Maximiliani clementissimi Boæ-
miæ regis consentiente interim patrio quodam amore & affectu
Augustissimo Imperatore Ferdinando, ob lætissimū gratissimūq;
Illustrissimi Principis ac Domini Domini Alberti Comitis Pa-
latini Rheni Bauariæq; ducis, & Annæ coniugis eius longè cha-
rissimæ, cæterarumq; illustrissimarū Austriæ archiducum suavis-
simarum illius Maiestatis sororum aduētum, hīc Viennæ in præ-
clara ac primaria totius Austriæ ciuitate exhibita ob oculos pone-
rem: quo quid discriminis inter Olympicos & hos nostro lu-
dos Martiales intersit, non obscure videre possint, quos cum peni-
tius introspexerit, mihi persuadeo nostris Austriacis certaminibus
palmam quemlibet facile daturum. Hæc enim non tantū vno aut

A

altero

altero certandi genere oculos hominum refecerunt ut illa: sed innumeris. Oculos pascere lubebat equorum decursu? ade- rant praeclarissimi iuvenes equis decurrentes. Placebat expe- ditionem aliquam insignem spectare? muros ac arces deiici? hic ueluti à Carolo quinto (quem maiestatis causa nomino) Morinum dirui, ac funditus denuo extirpari uidisses. Delecta- bat triremibus cōcertantes intueri nautas? erat Danubius uarijs inter se depræliantibus nauibus constratus. Sed quid hæc, quo- rum nullus est penè finis commemoro? O me terq; quaterq; beatum, qui nobilissimos hos Austriacos ludos uiderim. Ve- rum mirabitur fortasse quispiam, me nulla facundia prædictum tantos labores subiisse, & res usq; adeo arduas Latino & Germa- nico idiomate conscripsisse: sed mirari desinet credo, ubi insti- tuti mei rationem rectè cognouerit. Cum enim uiderem mei ordinis homines (quos feciales seu caduceatores docti uocant) quibus hoc negotium incumbit à scribendo rei difficultate deter- reri, ego quamuis cæteris inferior indoctiorq;, tamen ut officio à Cæsarea Maiestate mihi iniūcto satisfacerem, nullo pacto hæc si- lentio transire uolui. Quapropter, ne hanc meam prouinciam paulo negligentius administrari, mihi imputaretur, scribendi mu- nus aggressus sum, sperans non mediocri nostros homines hac in re tam honesta mihi adiumento futuros. Porro, ut ingenuè id quod res est dicam, (citra tamen omnem arrogantiam) nullus mei ordinis in his describendis suam mihi operā præstitit. Quam- obrem habebitis me excusatum spero, si interdum minus proprijs minusq; obuijs, & (ut id quod est agnoscam) interdum barbaris, cum verbis tum phrasibus utar. Nunc ad alteram rationem ac- cedo. Scribunt hoc tempore multi res leues & friuolas, easq; tanquam magni momenti posteritati tradunt, & laudantur. Ego itaq; sæpius mecum cogitaui num quis prodiret, qui res memoria dignissimas ludos dico ac spectacula, variasq; equorum & homi- num hoplomachias, hic Viennæ anno ab orbe redempto millesi- mo quingentesimo sexagesimo mense Iunio concelebratas in lu- cem ederet. At postquam nulli hunc scribendi laborem susci- perent, & eius rei gratia aliquandiu expectassem, coepi mecum co- gitare.

gitare. Hem quid istud? nulline hæc ad posteros transmittent? hæc ne vnà cum factis interibunt? vbi tantorum hominum vtpote Regum, archiducum, ducum, Marchionum, comitum, baronum, aliorumq; nobilium gesta ad immortalitatem & perpetuam memoriam consecrati digna continentur? vbi rei militaris virtus tantopere illustratur? vbi in rebus gerendis fortissimorum militum dexteritas patet? Nam vt breuiter dicam, quicquid est in homine virtutis cum militaris tum civilis, in ludis celebrandis, equis decurrendis, & pro gloria decertando illucescit. Quare dolendum esset res tantas tamq; memorabiles obliuione hominum & taciturnitate tegi: & non tantum ob causas iam à me allatas, verum etiam propter insensissimos Christiani nominis hostes Turcas atrocissimos, qui cum audierint Germaniam se ita in armis exercere, aut illi conciliabuntur, fidem Christianam amplectentes, aut iam iam sibi finem instare certò scient. O viuinam hoc fieret non quinto quoq; vt apud Græcos, sed quater in anno, quo Teutonica iuuentus relictis poculis Venerisq; illecebris armis asuesceret, polliceri auderem crudelissimæ pestilentissimæq; Turcicæ gentis interitum adesse. Præcipuè verò hæc immortalitati consecranda putavi, quo vniuersa Germanica pubes harum lectione ad ipsam virtutem amplectendam excitaretur: & vt nostri nepotes in maiorum suorum facta intuentes quod imitarentur haberent, hoc enim præcipuum debet esse filiorum, parentum suorum facta non solum imitari, verum etiam illa ipsa illustriora ac magis celebria reddere. Quapropter, ego qui non tantum omnia videram, sed etiam magna ex parte præfueram, præcipua quæ ibi gesta sunt literis committenda putavi. Vos itaq; amici lectores rogo atq; obtestor sedulo, vt si quid notatu dignum animaduertieritis (reperietis opinor quamplurima) memoriæ tradatis. Si verò humano more quippiam erratum, veluti in dominorum titulis, nominibus, cognominibus, coloribus, armis & insignibus, æquo animo accipiat, & me non vt Zoili solent, dente canino mordeatis, sed candidè emendetis, gratias enim vobis habiturus sum quoad vixero. Tandem vt ad institutum propius accedam varios ludos Viennæ mense Iunio supradicto editos, quorum præcipuos

A ij

quosq;

quosq; Serenissimi potentissimiq; Regis Boemix &c. iussu exhibitos, in quinq; classes redegi.

Prima, Illustrissimi Clarissimiq; Principis ac D. Domini Caroli Austriæ archiducis &c. pedestre certamen ante palatium inuictissimi Imperatoris apparatus continet.

Secunda, eodem in loco equestre exhibitum, complectitur.

Tertia, citra Danubium in campo Rosshau equestre partim, partim pedestre commissum continet.

Quarta decursum in campo Marti & Veneri sacro habitum explicat.

Quinta & vltima expugnationem arcis seu verius oppiduli, in insula Danubij extructi graphicè depingit, de quibus omnibus ex ordine dicetur, vbi paucis explicaro ea, quæ à secundo Maij ad decimumtertium Iunij acta quæq; facta fuere.

Sequitur nunc, quid

ACTVM, QVIDVE EXTRV-

CTVM SIT AB ALTERO MAII

ad mensis Iunij decimumtertium diem.



ANTE QVAM ludorum Gymnicorum schedæ promulgarentur, multa ad publica illa certamina ornanda, spectandaq; in ipsa Cæsa. Maiestatis arce, & ante arcem sumptuosè & splendidè extructa fuere. Primum, in arcis propugnaculo ad choreas ducendas, saltuq; decertandum area lata, ampla ac mirum in modum pulchra & accommodata fuit contignationibus, panis no cœruleo cinericioq; colore infecto, varijsq; rosis auratis depicto, obductis.

Quatuordecim columnæ, quæ ferè marmor repræsentabant atq; arcant ipsam ex duabus partibus claudebant: in vertice ac in media quodammodo parte coronis aureis conspicuæ erant. Harum

rum quatuor in medio coniunctæ, circi theatrum tribus gradibus ita dispositis, ut altiores in ascensu semper crescerent efficiebant: quod Cæsa: Maiestas sibi charissimisq; liberis spectaculi loco habuit, erat enim rosis auratis, variaq; arte confectis auleis supra quam dici possit exornatum. Adhæc eius prospectus ad omnia quæ in circo Gynecæoq; agerentur accommodatissimus erat. Huic ex aduerso reliquæ decem columnæ ubi spectaculum quinque gradibus ipsis Principibus nobilibusq; erectum fuit in cuius prima ac præcipua parte locus erat ipsis tympanistis fistulaq; canentibus, nec non cæteris id genus Musicis assignatus. In reliquis vero aræ lateribus duabus, virginibus extructa fuere sedilia, varijs aureis argenteisq; tapetis, nec non vestibus holosericis auro argento gemmisq; intextis instrata. Longitudo aræ, septuaginta fuit passuum: Latitudo in circi medio triginta, in extremis vero partibus viginti. Parietes vero obtensi erant velis picturatis, & versicoloribus texturis.

Vigesimo quarto Maij ex nauali naues producuntur, summa industria armantur, remigium suppletur, tormentis complentur, Classe sic instructa, naues ab terra in Danubium agunt.

Primum, triremem quandam Columbinam nomine vastæ ac inusitatæ magnitudinis, utpote triginta octo remorum, quæ ex utraq; parte transira nouendecim habuit, singulisq; remis binos adiunctos homines, quos si ad calculum reuocemus, videbimus remiges septuaginta sex fuisse. In hac erant aliquot magni ponderis machinæ bellicæ, septendecim in prora, in carina tres, in puppe quatuor. Huius naui summitas, duo vexilla ex serico depicto, lacinijs aureis argenteisq; defluentibus conspicua habuit. Velum prælatum erat & longum, vexillaq; serica candidi rubriq; coloris cum magna tum parua vndiq; defixa. Adhæc quicquid ad triremem bene instructam requiri possit, abunde continebat: multa rerum experientia edoctos naucleros, peritissimos nauaras, varia ciborum potuumq; genera, quibus non minus onusta fuit, quam si aduersus hostem expeditio aliqua fuisset instituenda.

A iij

Deinde

DEinde alias duas triremes abs terra moliebantur eiusdem ferè magnitudinis, quarum vna à Sancto Paulo Paulina nuncupabatur, altera S. Iohannis nomen habebat: ab vnoquoq; harum triremium latere remi erant octodecim. His non minus quàm maximæ illi Columbinæ, varijs belli machinis, nauclero epibatis, cibo deniq; & potu fuit prospectum.

Post has Myoparones sex (vulgus Brigantinas vocat) transtris partim duodecim, partim tredecim. In horum vnoquoq; quatuordecim parua ac magna tormenta igniuoma spectabantur, & nonnullæ id genus aliæ Bombardæ globis, pulueribus sulphureis instructæ. Hoc nauigij genus permulti celoces vocant: sunt enim naues structura militari, formaq; ad omnem vel tormentorum vel tempestatis vim egregiè sustinendam idoneæ, paulò minores onerarijs, instructæ quadratis ac triquetris velis, atq; aliquot, vt dixi remis, quo è portubus in apertum mare, ad captandos ventos hostesq; insequendos facilius esset sese prouehere, promontoria superare, huc illucq; mutatis velis sese recipere, his plerumq; vtuntur qui pyratricam exercent.

DEinde, adduxere naues oblongas, quas speculatorias Latini, vulgus fregatas vocat. Harum quæq; habuit remos decem, machinasq; flammiuomas tres ad bellum gerendum vt & superiores non tantum habiles, verum etiam ad omnia quæ quoq; in loco agerentur perlustranda, accommodatissimæ.

Inde naues rostratas quatuor (quas Nassaras armatas communi vocabulo appellant) attraxere, incomparabili tormentorum apparatu permunitas: harum, quæq; transtra habuit vtrinq; decem, totidemq; remiges, nec non trierarchum vnum. Adhæc naucleros tres, quorum quisq; ministris quinq; stipatus erat. Fuere præterea proræ vexilla tria, totidemq; puppi imposita. Latera clypeis Vngaricis (Tergas nomine) obtendebantur. Nautæ vero omnes Hussari fuere: genus quoddā militum instaurandis

randis

randis bellis natū adeoq; aptum, vt si volare possent, non cuni terrestribus, verumetiam cum coelestibus cœlum ipsum expugnaturi bella gererent hi ad prælium nauale erant instructissimi: eorum enim vnusquisq; scutum, lanceam vexillo insignem, acinacem uel gladium Turcicum & clauam ferream, ad hostem arcendum gerebat.

DEniq; è nauali in Danubium extraxere nauiculam, eodē modo quo solent Veneti epibades (quibus ad vectores traijciendos, & in vrbe animi causa deuchendos commodissimè vtuntur) adornare, extructam: auratis ac cœlatis laquearijs, picta intrinsecus puppe ac prora, contecta itidem carina umbraculo ex auro purpuraue intertexta, remigibus serica tunica amictis, armorumq; decoro cultu exornatis. Cæterum vt tribus (quod aiunt) uerbis dicam, omnes supradictæ naues vexillis sericis, albo rubroq; infectis atq; trierarchis, naucleris, epibatibus nautisq; instructissimæ fuere, qui ingentem vim nautici comæatus, instrumenta naualia noui artificij, tormentorumq; omnis generis ac telorum copiam, uel maximo bello suffecturam, in naues distribuere, prospexerantq; omnibus rebus non minus, quam si iam secundo Danubio in Mahometanos facienda fuisset expeditio.

Vigesimo octauo Maij, que fuit quinta ante festum pentecostes dies, Illustrissimus serenissimq; Austriæ Archidux Carolus in presentia meorum collegarum nobilis Stephani de mourez haynault nomine, Romanorum fecialis, & nobilis Guilielmi pullenstrassen Boemiæ fecialis literas seu ludorum priorum epitomen tradidit, vnaq; mandatum, ut quamprimum Imperiale palatium vna cum collegis peterem, schedulasq; in aulæ minori porticu gynæceum spectanti, solito more promulgarem, quas cum summa obseruantia accepißem, quamprimum me comitantibus socijs, ad Illustrissimi Principis ac D. Domini Caroli Austriæ archiducis palatium quod tum temporis in nobilissimi Do: ab Eyzingen ædibus erat, contuli, vnde conscensis equis, indutisq; paludamentis fecialibus, caduceisq; albis de more manibus gestantes per vi-

ccs, fossas (locus is est, qui ab aggeribus seu fossis quondam moenibus ciuitatis nomen habet) & forum carbonarium in aulam ducti sumus, præcedentibus duodecim Tympanistis, totidemq; fistulatoribus, magna virorum puerorumq; sequente caterua. In aulam postquam esset peruentum porticum præscriptam ascendimus, ubi ter tympanis signo dato (vt in Regum Principumq; scriptis proclamandis fieri solet) ego Cæsa: Maiestatis fecialis literas magno hominum applausu promulgaui, quas, quo commodius priorum ludorum negotium percipere possitis, non piguit eas ordine recensere.

Literarum quæ priorum LVDORVM SEV HOPLOMA.

chiæ argumentum continent
exemplum.



Alam est, & quotidianis exemplis luce meridiana clarius, fideles in amore ministros, pro fidei erga amantes officio indies magis ac magis durius (proh dolor) ab amasijs tractari contra omne ius & æquum. Quapropter eiusdem conditionis quatuor agonotheæ (quos vernaculo idiomate vocabulo conuenienti magis quam recepto Mantenatores vocamus) merito hanc querelam aduersus foemineum genus instituere possunt: pro beneficio enim ac gratia malefactum ac ingratum animum exhibent, quam ingratitudinem cum paulo altius secum perpendunt, aliter coniectare non possunt, quam omnes amatores ab amanti- bus duriter tractari. Quare, illud non diutius ferendū existimantes, consilium inierunt, quonam pacto istud ipsum, si non effugere, saltem aut emendare, aut suauius ab amantibus tractari possint. Habet enim aliquid acerbi, ex unius in alterius amorem migrare. In amplissima itaq; corona nobilissimarum cum mulierum tum virginum conclusum est, vt huic morbo remedium adhiberetur, quemq;

quemq; suas vires, suamq; in rebus gerendis dexteritatem in hoplomachia ostendendo, si vel saltem hoc pacto amantibus gratificando humanius in posterum recipi possint, designatusq; nonus Iunij dies sanctissimæ ac indiuiduæ Trinitati sacer, in quo celebrantur gymnica illa certamina, ad quæ quicumq; partem aduersam contra istos quatuor Agonothetas armata manu tueri velint, prodirent. Illi quatuor verò pollicentur ab hora præscriptæ diei duodecima ad Solis occasum omnium Athletarū (quos Auenturos barbaro vocabulo nuncupant) impetum perlaturus. Si fortasse plures ipso Trinitatis die in palæstram prodirent, quàm ut omnes suæ virtutis specimen queant ostendere, promittunt palæstritæ se proximi diei horis pomeridianis, eadem animi fortitudine pugilum vim depulsuros. Modus verò ac forma, qua legitime decertabitur hæc est. Quatuor Agonothetæ stabunt ex ordine expectantes, primo ter lancearum imperum, inde quinq; gladiatorum ictus, hoc modo Athletarum alter alterum iusto ordine sequetur, lanceisq; intentatis in vnum quatuor palæstritarum, impetus tres faciet. Deinde vibrantibus gladijs inuicem quinquies congregientur, quo facto discedet uterq;. Succedent Agonothetarum Athletarumq; alij, & supradicto modo decertabunt. Eadem progredientur via ad Hoplomachorum nouissimum usq;. Cæterum articuli aliquot, quos sequi debet is qui in arenam descendere velit, brauiumq; obtinere, & qui ab amante dehinc suavius humaniusq; (modo se meliori sorte dignum iudicer) accipi velit, infra scripti sequuntur.

Primo, ne quis in palæstram descendito, ni ex nobili familia natus.

Secundo, Gymnici quo ordine circum ingrediuntur, eo & decertanto.

Tertio, ne quis alijs in lucta gladijs lanceisq;, quam quæ à Brabeutis seu ludorum iudicibus acceperit, utitur.

Quarto, si quis in conferendo manus, vel corpore, uel armis, periuolum tetigerit, aut alterius corpus infra Zonam hasta gladioue ferierit, præmium nullum inde ferto.

B Quinto

Quinto, si cui fortè de manibus excidat gladius, aut illo ipso se iuuandi causa periulo siue tignis innixus fuerit, illi præmium nullum tradito.

Sexto, Si quis aduersarium, cuius arma aut inter certandum franguntur, aut fortè fortuna in terram decidunt, verberarit, illum nulla gloria dignum iudicato. Si vero istum ipsum in communi conflictu (quem obsoleto vocabulo Folliam appellant) cōtigerit, palmam illi deferto.

Septimo, Lancearum intentatio, gladiatorumq; ictus ultra præscriptum numerum facti, nullius esse momenti iudicatore.

Octauo, ne quis certamen ingredietur aureis argenteisq; vestibus, aurove aut argento intextis, nevelaminis aureis ornatus, vestibulq; sericis serico obductis. Vti tamen poterit laminis argenteis, vestibulq; adulterino auro ac argento conspicuis.

Nono, si fortassis quispiam in vno horum reus deprehensus fuerit, aut saltem minus diligenter obseruasse, iudicibus is ipse causam aperito.

Decimo, si fortè fortuna iustæ fuerint causæ, & iudicum ordinariorum sententia approbatæ, liberum relinquitò agone thetis, vnum vel plures ex luctatoribus, quoscunq; voluerint in auxilium poscere.

Nunc verò ut unicuiq; constet quæ nam Olympionicis victoriæ palma sit deferenda, ex iisdem literis appositè braua subnectam.

Præmia Gymnicis DISTRIBVENDA



PRIMO, quicunq; palæstritarum aut pugilum longè ornatori cultu in circo apparuerit, nobilissimarum lectissimarumq; dominarum ac virginum iudicio (hac in parte enim Brabeutę iudicium

iudicium virginibus, quæ sunt his in rebus acerrimæ iudices) relinquent, ferrum inde asportato.

Secundo, Quisquis in tribus illis supradictis hastarum insul-
tibus plures lanceas altius ornatusq; perfregerit, ille iudicum sen-
tentia hastæ brauium accipito.

Tertio, Quisquis athletarum quinq; gladiatorum ictus agilius
dexteriusue in aduersam partem direxerit, gladiatorum palma di-
gnum iudicato.

Quarto, Si quis in promiscuo palæstritarum pugilumue
certamine hasta fortius viriliusq; sese gesserit, & plures perrupe-
rit, nō exclusis palæstritis, illi communis lanceæ coronam datore.

Quinto & ultimo, Quisquis in eodem congressu gladio
acrius, fortius maioriq; industria decertarit, gladiatorum in tumul-
tuario conflictu illi agonisma offertore.

Hiseo quo audiuitis ordine promulgatis, ego cum colle-
gis ad supradictas ædes, eadem via, eademq; psallentium turba præ-
cedente, nec non ingenti omnis generis promiscua multitudine
comitante redij, inde quisq; suos petijt lares.

ALtera Iunij quæ sancto spiritui dedicata fuit, inuidiſſimo Im-
peratore Ferdinando vespertinas preces nondum ingreſſo, nobi-
liſſimus præclarisſimusq; D. Johannes Alphonsus Gaſtaldo, iuſſu
Sereniſſimi Maximiliani Regis Bohemiæ communis patriæ pro-
tectoris clementiſſimi tabellas aliud decertandi genus continentes
mihi, meoq; collegæ Boemiæ feciali inter quartam & quintam
tradidit ante ædes palatinas promulgandas, quas ſumma venerati-
one accipientes, vna cum D. Gaſtaldo ad ipſius domum nos con-
tulimus, vbi phaleratos equos æneatoresq; paratos reperientes ve-
ſte feciali induti, ac caduceos manibus geſtantes, equiſq; inſiden-
tes, præcedentibus duodecim tubicinibus, & frequenti hominū
multitudine ſubſequentē, per forum (quod à porcis nomen ve-
tus retinet) foſſas & forum carbonarium, ad Palatium Impe-
riale vecti ſumus, ad quod cum perueniſſemus ex veteri in-
ſtituto rex tubis vbi eſſet cantatum, tabella equorum Hoplo-

B ij machiam

machiam complectens à me lecta est, & clara voce publicata. Verum quodnam fuerit literarum argumentum, posteaquàm ad equorum certamen peruentum fuerit, explicabo. Literis iam promulgatis, per supradicta compita ijsdem lusoribus, ducti sumus ad prædicti D. Alphonsi domicilium, vnde relictis equis, semotaq; omni turba, vterq; domum suam repetiimus.

O Crauo Iunij, Illustrissimus Potentissimq; Dominus Dominus Albertus Bauariæ Dux, vnà cum Cæsa. Maiestatis filia coniuge sua charissima sexq; alijs Illustrissimis formaq; præstantissimis Cæsaris Ferdinandi filiabus, secundo Danubio Viennam Austriæ venit, nauibus mirum in modum tum fabricatis, tum ornatis depictisq; vt Bauariæ domus insignia vndiq; repræsentarent. In his omnis generis Musicos, vtpote Symphoniacos, rubicines, tympanistas, fistulatores, & quicquid Principe dignum excogitari possit, habebat.

Horum aduentum, Serenissimi opulentissimiq; Principes Maximilianus Boæmiæ Rex, & Carolus Austriæ Archidux, vnà cum multorum principum & vrbium Legatis in nauali præstolabantur. Cæterum non absurdum, nec ab instituto alienum esse videtur, variarum prouinciarum Legatorum nomina, qui tum temporis in Aula Imperatoria agebant, hoc loco recensere, inter quos non immerito principem locum obtinebit summi Pontificis nuncius vtpote.

Reuerendissimus in Christo pater ac D. D. Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis &c. Inde regū sequebantur Legati, vtpote.

Generosus Do. Claudius Ferdinandus de quiuones Comes à Luna Serenissimi catholiciq; Hispaniarū regis Philippi Legatus.

Serenissimi Potentissimiq; Regis Poloniæ Sigismundi Augusti Illustrissimus ac Reuerendissimus in Christo pater ac D. Do. Iohannes Przeremsky Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis, ac totius regni Poloniæ primas.

Clarissimus, Reuerendissimq; vir D. Martinus Cromerus V. I. Doctor, custos Wisliensis, summi templi Cracouiæ & Warmiæ canonicus, eiusdem Regis Poloniæ Legatus.

Tertio

Tertio ac ultimo, prouinciarum ac variarum ciuitatum. Veluti inclytæ Reipub. Venetæ incomparabilis doctrinæ, ac rebus gerendis dexterrimus vir D. Dominus Iacobus Soranzo eques auratus &c.

D. Dominus Ludouicus de Cortis supremi inclytæ militiæ S. Iohannis Hierosolymitani præfecti, ac eiusdem ordinis eques &c.

Generosus & imaginibus clarus D. Do. Laurentius de Medices eques Hierosolymitanus. Illustrissimi Principis D. Do. Cosmæ de Medices Ducis Florentiæ & Senæ Legatus.

Generosus ac Illustris Comes Iulius Rangon Illustrissimi Principis ac D. D. Alphonfi Estensis Ducis Ferrariæ &c. Orator.

Generosus ac Nobilis D. Hannibal Caprianus eques auratus, Illustrissimi Principis Guilielmi Gonzagæ Ducis Mantuani ac Marchionis montisferrati Orator.

Generosus ac Nobilis Dominus Octauianus de negro, præclaræ Reipublicæ Genuensis Orator.

Aderant præterea complurium aliorum Principum Legati & Oratores, verum eorum nomina hic lubens breuitatis causa prætereo.

Adhæc præsto erant frequentissimi Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, & vetustæ nobilitatis viri, cum innumera stipatorum, satellitum, ministrorumq; turba, quæ Principibus supradictis honoris virtutisq; ergo aderat. Porro cum Dux Bauriæ impetu fluminis nauale præternauigaret, è vestigio contulit sese Maximilianus Bohæmiæ Rex comitantibus cæteris ad portam salariam excepturus Albertum Bauriæ Ducem, charissimasq; sorores. Qui cum ad ripam appulissent, atq; è nauibus in terram egrederentur, ab inclyto Maximiliano Bohæmiæ Rege, non solum amplexu & osculo, pro ipsorum necessitudine arctissimaq; sanguinis coniunctione, sed etiam Splendidissimo atq; Regio ornatu, tanta cum humanitate & affabilitate, excipiuntur, vt quid dicam verbis exornare, vix eloqui possim.

B iij

Maximili-

Maximilianum subsequitur Carolus Austriae Archidux, qui itidem Palatini Rheni comitem Bauariae Ducem, sororium longe charissimum, charissimasque sorores, non minus benigne ac commiter ipso fratre amplexatus est. Tandem ceteri omnes Principes, Legati, diuersarumque prouinciarum proceres, ac vniuersus cætus, effusa quadam animi læticia suos excipientes, magnum vndique strepitum excitare. Hic licuisset præ læticia amorisque causa, ad suauissimos cognatorum amantiumque amplexus, videre omnes cateruatim tendere. Resonabant interim tympana, modulabantur tibiae, clangebant tubæ, ac ubique exultantium voces exaudiebantur, atque omnia loca læticia, & plausu passim complebantur. Omnibus iam paulum sedatis, Principes conscensis equis, ac Gynæceō carpentis inauratis, & Corinthio opere mirifice exculptis imposito, per rubram portam Viennam ingressi, per varios vicos variasque plateas ac compita, ad Aulam Imperialem processerunt, ubi Cæsarea Maiestas una cum Illustrissima Serenissimaque D. D. Maria Bohæmiæ Regina, omnis virtutis unico exemplari, illis obuiam veniens, cupidius vlnis atque osculo suos complexa est. Primò Imperatoriæ Maiestatis generum, inde dulcissimas filias, charosque nepotes ineffabili læticia excipit. Quibus peractis, quisque sese ad sibi assignatas ædes contulit. Inuidissimus Imperator Ferdinandus & Maximilianus Bohæmiæ Rex, ad solita Aulæ palatia, Bauariæ Dux Alberrus cum coniuge, ad nobilissimorum Comitum à Salm hospitium: Carolus Austriae Archidux in supradicti Domini ab Eyzingen domicilium: Filia verò Cæsaris in plateam, cui ab Aula nomen impositum est, ad ædes Clarissimorum Nobilissimorumque Dominorum ab Harrach, Domini Iacobi Ionæpiæ memoriæ V. I. Doctoris, & Domini Wolffgangi Hellers, quorum Domuum parietes diruti, ex tribus vnā fecerant, hinc tabulata in Aulæ hortos extructa porticum efficiebant, qua Palatium cum visum esset ingredi poterant.

Nono Iunij Bauariæ Dux Imperatorisque liberi cum ipso inuidissimo Cæsare parente amantissimo prandium sumpserunt.

Eius

Eius diei duodecima Serenissimus Do. Dominus Ferdinandus Austriae Archidux &c. magnis diurnis nocturnisque itineribus Praga profectus, celeberrima Bohemiae Metropoli, ac vetustissimo honestarum literarum emporio, Viennam omnibus de eius aduentu inscijs ingressus, Palatinas aedes petijt: ubi suos longè charissimos coniunctos offendens, supra quam cuique credibile est gaudio afficiebatur. quos cum varijs de rebus ultro citroque esset alloquutus, domum nobilissimi Beglei Cæsareæ Maiestatis Consiliarij petijt.

Hoc ipso die iuxta ludorum literas peditum Hoplomachiam incepisse oportuisset, ni pluvia ingenti magnaque aeris tempestate impediti fuissent, Quare, omnium consilio Gymnica illa in tertium diem dilata sunt.

VNdecimo Iunij Cæsarea Maiestas una cum Illustrissimo Bavariae Duce filijsque charissimis venatum iuit, prius tamen una prandium sumpsere. Peracta iam venatione ad lanceis gladijsque decerandum omnes sese in proximum diem præpararunt.

Sequitur, quo modo ET ORDINE MARTIA-

LES AVSTRIACI LVDI DVO.

decimo Iunij exhibitum sint.



DVODECIMO Iunij, qui erat pridie Corporis Christi dies Mercurio sacer, incepti sunt Austriaci Martiales ludi, ut toto terrarum orbe præclarissimi, quos nunc ex ordine recensebo, ubi pauca

vbi pauca de certamini designata area, de Agonothetis ac Brabeutis seu ludorum iudicibus, dixero. Area in qua Viennæ Austriæ lanceis decursus est, gladijsq; certatum, fuit illa ante aulam Imperialem planities centum quadraginta passus in longitudinem: In latitudinem centum patens, quondam ciuitatis Viennensis armamentariū, quod Cæsarea Maiestas ad persimiles ludos commodius exercendos demoliri iussit, in cuius medio locus ad pugnam præscriptus, periuolo circumseptus arenaq; constratus erat. Latera hinc inde contabulationes ac spectacula Ducibus, Principibus, cæterisq; nobilitate ac rebus terra mariq; præclare gestis, eruditioneq; insignibus viris præbebant. Præterea summa elegantia extructum habebant acerrimi & iustissimi D. iudices ac feciales in dextra circi parte theatrum, ex quo omnia quæ fierent, quæq; agerentur commodissimè videre poterant: erat enim è regione designata ad decertandum palæstra. Ad dextrum huius theatri latus duo tentoria posita fuere. Agonothetis vnum, Alterum laminarijs, bractearijs, ac palæstritarum ministris.

NOMINA QVATVOR PA-

LAESTRITARVM.

Palæstritæ verò fuere Inclytus fortissimusq; Austriæ Archidux Carolus.

Præclaris ortus natalibus generosus D: Marcus Antonius Spinola Comes in Iarzerola &c. Regis Bohemiæ Prætorianorū custodiæ corporis satellitum præfectus.

Nobilissimus Dominus Carolus Ludouicus Baro à Zeltingen, & Domi: in Zierendorff. Catholici Hispaniarum Regis Philippi Dapifer.

Et amplissima familia natus Iohannes Panowiz à Mechawiz Cæsa: Maiestatis prægustator.

NOMINA BRABEV TARVM SEV

D. IVDICVM.

Cæterum Brabeutæ, seu spectaculorum Iudices fuere, vetustæ splendideq; nobilitatis Domini.

Fran-

Franciscus Comes & Baro in Thurn & Chreutz hereditarius magister domus Croaciae, Romanae Caesa. Maiestatis consiliarius, Comitatus Goritiae administrator, & Ferdinandi Archiducis Austriae primarius Aulae praefectus.

Antiqua prosapia natus Bernhardus à Manes Baro in Schwartzeneck S. Caesa. Maiestati à consilijs & cubiculis ac primarius Architriclinus, & in Adlersperg ac Karst administrator, & Imaginibus clarus Eberhardus à Freyberg Illustrissimi Bauariae Ducis Alberti &c. Marefcalcus supremus.

Sequitur, quo ordine

IPSI AGONOTHETAE PA-

LESTRAM INGRESSI SINT ET

quibus coloribus nimirum croceo, spadiceo & albo vestes infectae fuerint.



PRIMUM in arenam descenderunt Tympanistae duo, totidemque tibicines ac laminarij, vestibus exornati: Singuli enim indumenta habere fuscii coloris. Thoracem ex panno attalico dissectum, ac alba croceaque bysso per incisuras transmissa. Tibialia ex optimo panno confecta fuere. Femoralia vero ex spadiceo coloris attalico inciso, ex his dependebat album croceumque serabum. Caput tegebat spadiceo coloris pileus holosericus, exornatus croceis, spadiceis, & candidis plumis. Vaginae singulis ex spadiceo erant holoserico, caelatis bracteis ornatae. Hos excipiebant vexilliferi duo, praestantissimae nobilitatis Do. Christophorus à Liechtenstein, & D. Wilhelmus à Rogendorff. Christopho: vexillum in duas areas diuisum gestabat, quarum una eleganti spadicea & albi coloris cruce Burgundica insignita erat, Altera ex tribus albis lineis serabi latitudinem referentibus, totidemque fuscis ordine incertis concinnata, D. Wilhelmi vexillum,

C

lum,